

secundæ domus. Si fuerit male dispositus, ipse erit causa destructionis sue substantiæ, Geminis uel Sagittario ascendentibus, si fuerit dominus ascendentis illius bene dispositus, fortunatus atq; fortis, & Luna similiter, significat quod acquirat multam substantiam, & erit tenax, & nunquam perdet substantiam suam, & erit auctor sibi comparando patrimonium.

Si fuerint Virgo aut Pisces ascendens, & dominus ascendentis & Luna bene dispositi, natus acquirat pecuniam, & expandet eam in bona parte, erit largus, uiuet splendide.

Nunquam erit pauper & inops, cuius natiuitatis dominus fuerit Iupiter.

Valde diuites, qui diuitijs abundabunt, & qui magni sint nominis, sunt quibus dominus secundæ domus fuerit in exaltatione, uel domo sua, applicans ad dominum ascendentis, maxime autem si fuerit Iupiter.

Largitas & splendor est à Sole & Ioue coniunctis in secunda domo.

Sol in Leone in quibuscunq; diuisionibus figuræ, non permittit natum mendicum esse.

Stellæ fixæ dant dona grandia, & subleuant homines de paupertate ad summas diuitias, magis etiam quam septem planetæ, sed plerunq; in malum earum dona finiuntur, hoc intellige si fuerint in gradu ascendentis, uel medio coeli, uel cum luminaribus, uel parte fortunæ.

Quando duo planetæ ascendunt de die ante Solem, uel occidunt de nocte post Lunam, aut ascendunt post eam, si fuerint fortunati, significant dominium, & ingentes diuitias.

Pars fortunæ in domibus planetarum fœlicium & in bono loco, si eam aspexerit dominus eius ex bono loco, & dignitate sua aliqua, sitq; Luna recepta à domino secundæ, abundantiam diuitiarum significat, & quod etiam plures per eum diuitabuntur. Si autem fuerit in cadentibus, aut loco extraneo & infortunato, miseriam & paupertatem significat.

Dominus secundæ domus, si ad dominum ascendentis fuerit, significat natum ex re inopinata diuitias adepturum, & bona ex parte lucrari si fortunantes uiderit. Si autem infortunantes aspexerit, per furta aut ex usuris eum lucrari significat.

Dominus primæ si appropinquauerit domino secundæ, natus sua industria lucrabitur, & in his adipiscendis intentus semper erit. Separatio uero domini ascendentis à domino secundæ, significat natum de lucro non multum curare.

Si dominus secundæ fortunatus fuerit, & dominus primæ infortunatus, natus in inquirendo diuitias ignauus erit, atamen erit diues, sed ei non proderunt diuitiæ, quamuis dominus secundæ fortunatus fuerit, nisi Iouis aut Veneris testimonium habuerit planeta receptor dñi secundæ domus, ac si bene dispositus sit, diuitias auget.

Si Iuppiter dominus octauæ domus, in secunda uel undecima fortunatus fuerit, natus habebit substantiam ratione mortuorum. Mars tamen uel Mercurius, id bonum minuet, erit enim testamentum mendax.

Saturnus cum Ioue in nocturna genitura, significat substantiam ab auis uel parentibus.

Saturnus in octaua in die si non fuerit dominus octauæ, significat substantiam multam in senio ratione mortuorum.

Fortunæ si dominantur octauæ, non aspicientes dominum ascendentis significat substantiam mortuorum, sed absq; profectu.

Damnum in diuitijs nato eueniet per signum & domum in quod ceciderit aliquis significatorum diuitiarum infortunatus, fieri enim poterit quod quis habeat diuitias ab uno significatore, & si fortunatus in rebus significatis ipsius significatoris, & per locum eius, recipiet tamen damnum, uel infortunium ratione alterius

rius